...reas
... et Pomesaniae
Supremus Regni Cancellarius

Pastorius Joachimus. Illmo et Rmo D. D.
Andreae Comiti de Lesno - Episcopo Culmen-
si - gratulatur.

Elbingae typis Achacii Corellii. 1650.

ILLUSTRISSIMO & REVE-RENDISSIMO DOMINO DOMINO

ANDREÆ COMITI DE LESNO

D. G. EPISCOPO CULMENSI & POMESANIÆ

Post gestum multis annis

FIDE PRÆCLARA VICECANCELLARIATUM

NUNC

AUGUSTO REGIS IUDICIO AUSPICIOQ;
MAGNO MERITORUM SUORUM HONESTAMENTO
ORDINUM OMNIUM APPLAUSU OPTATISSIMO
SUPREMUM REGNI CANCELLARIATUM

Capessenti

NOVUM ISTUD HONORIS MAGMENTUM

animo deditissimo

Et hoc indice animi Sermone

gratulatur

JOACHIMUS PASTORIUS.

ELBINGÆ
Typis ACHATII CORELLII. ANNO 1650.

AUctæ non ita pridem Dignitatis Tuæ nuncius, Illuſtriſsime & Reverendiſsime Domine, in eo me rerum articulo deprehendit, ut & nefas omninò ſit mihi tacere, & loqui minimè expeditum. Qvippe uti ſilentio meo officii neglecti damnoſam labem, ita malè vel incautè compoſito ſermoni, haud modicum famæ proſtitutæ, invidiæve ſubeundę periculum ſentio imminere. Tam illuſtri jampridem loco Tua Te & virtus & fortuna poſuit, ut nihil eorum, quæ â Te vel circa Te geruntur, latere poſsit. Inprimis verò tam magnifica eſt, quæ jam Tibi contingit, honoris acceſsio, ut eorum, qvi qvalemcunq; ingenii vel ſtyli ſui curam publico debent, nec conſcientiam effugere poſsit, nec debeat induſtriam. At nunc iis rebus, qvæ circa nuperum ſceptri & ſimul felicitatis

Polonæ interſtitium deliquiumve apud nos accidêre, adeò intentus ago, ut nullo novi negotii intercurſu, nullâ etiam rerum mearum, fortunarumve cum Lare migrantium mutatione, ſinam me inde dimoveri. Et iſtic quidem inter alios Tibi qvoq; vacare me deprehendo; illa ſcilicet tradere poſteritati parans, quibus gerendis, aut certè componendis operam, conſilium, autoritatem Tuam ut Senator primarius, ut amantiſsimus Patriæ civis perpetuò commodaſti. Qvò pronior qvoq; veniam dabis, ſi ego, qvi in hoc felicitatis Tuæ magmento, nulli equidem clientum Tuorum gaudii magnitudine ceſſerim, eam nunc non ſat prolixo vel ſplendido verborum apparatu, ſed compendio potius, & velut feſtinante ad interruptam operam impetu effudero. Moroſa qvoq; aliorum iudicia, qvæ in delicato literatiſsimę, at non minus tamen

ſcriben-

ſcribentibus lubricæ aulæ theatro vix forſan effugiam, facilius, opinor, propitiabo: ubi benignitati Tuæ utcunq; ſatisfecero. Qvod felix ergò fauſtumq; ſit, ſupremi jam Cancellarii munus ſuſcipis Illuſtriſsime LESCINI. Munus pręluſtre, & actionũ gravitate officiorumq; neceſsitudine proximum Regio. Unde in Imperio Germanico, qvod ſi minus vim, imitamenta tamen habet Romanæ Majeſtatis, primæ ab Imperatore ſedes ſunt Cancellariis. Sic apud alios haud obeſæ naris populos ita Regibus Cancellarii aſsident, ut ab iis nullo intermedio, niſi Regii forſan ſangvinis principe, diſparentur. In ſeptentrione parte Orbis rigidiore & ad Togæ humanitatem tardiùs manſvefactâ, pręhabiti qvidem alicubi ſunt alii magiſtratûs, bellis utpote gerendis, arcendiſve injuriis, in qvas ſemper ille pronior fuit, nervo deniq; rerum colligendo magis viſi neceſſarii. Atq; etiam

 poſt

post depulsam cultu humanitatis ferociam qvędam gentium istarum ita moris prisci retinentes sunt, ut in Ordine Senatorio locum minimè inter primos dent Cancellariis. Cæterum tamen hi qvocunq; gradu positi, si vera interioris potentię momenta, si latè per Regiam Regnumq́; patentis autoritatis pondus potiùs, qvàm loci ordinisq́; inania spectes, supra omnes qvodammodo dignitates ubiq́; ferè eminent. Ac sanè, pace dixerim aliorum magistratuum, quibus ego multum honorem debeo, & nec velim unquā, nec possim quicquam detrahere, si pręcipua omnis regnandi vis in jure populis dicundo, in consiliis dandis poscendisq́;, in fæderibus pangendis, in custodiâ legum monumentorumq́; Regni, in dispensatione beneficiorum, in censurâ criminum consistit, nulli ferè magistratûs in rerum tantarum administratione plus principibus conferunt

Can-

Cancellariis. Mente reguntur libranturq́; magna imperia: at mentem principum sciunt enunciantq́;, sæpè & instruunt Cancellarii. Fata fortunamq́; populis dividere principes solent, sed profectò per Cancellarios. Amicitias privatę res, fœdera publicę pro munimentis habent: at fœderum administri plerumq́; Cancellarii sunt, & hi responsa dare solent legatis exterorum. Habent dominationes omnes arcana sua, quibus innituntur: at hæc sanè vix alibi qvàm penes Cancellarios deponuntur. Deniq́; imperiorum omnium dispensatrix & Regina Justitia est: at hujus antistites interpretesq́; Cancellarii sunt. Cum toties rea coram illis stet innocentia, cum imbelles adversus vim potentium sæpissimè legum auxilia invocent, cum ab Vrbanis subselliis ad Aulę tribunal magno numero confugiant læsi oppressive. Qvid multa? promptuarium Consilii publici, Atlas

las negotiorum, afflictorum inopumq; asylum, Cor, oculus, os deniq; Principis Cancellarius esse meritò gloriari possit. Unde porrò facile conjectu est, qvantę ingenii dotes ad tantum munus requirantur: & quantas cervices esse oporteat, qvæ huic tanto oneri ferendo esse debeant. Nam primùm qvantę pietatis eum esse decet, cui tantarum rerum cura, cui tam ingens Egregii publici moles imponenda est? Qvis enim sustinendo huic cœlo erit, nisi Superis amicissimus? & animi propinquitate qvàm maximè innexus? Qvis vicarię Dei potestati in tam grandi functione dignè subserviet, nisi Deum habeat propitium? Non frustra sanè olim in hâc Republ. selecti semper ad hanc provinciam viri sunt, qvi amplissimis sacerdotiis præditi, morum sanctimoniam cum rerum agendarum dexteritate conjunxissent: adeò ut ordinis Ecclesiastici semper Cancella-

cellarii eſſent. Poſtea cum ampliſſimi hujus muneris curas inter duos dividi placuiſſet; id â Sigismundo Primo repertum temperamentum eſt, ut ſi qvis Regni civium ſacris non initiatus Sigilli cuſtodiam accepiſſet, collegam tamen is ſemper ex ordine ſacro haberet. Vt ne unquam ſcilicet ingens illa Regni ſtatio ita curis ſeculi indormiſceret, qvin eſſet ſemper, unde pietatis admoneretur. Vnde Odrovanſciorum, Ociesſiorum, Padnieviorum, Miſcoviorum, Tiliciorum, Gembiciorum, Zadſiciorum, Lubiniorum & ſimilium in Poloniâ effloruit ſeges: qvi omnes non minus Religionis Pietatisq; curâ, qvàm rerum in ſummo munere geſtarum amplitudine enituêre. Qvantâ porrò prudentiâ opus eſt Cancellario? qvem, ut diximus, penu quaſi qvoddam Conſiliorum eſſe decet? cui ſæpè cum Principe ſuo in turbido tenenda ſunt rerum gubernacu-

la; cui ad nullam inopinam negotiorum vel diſcriminum faciem exhorreſcendum eſt. Qvem Priniips ingenium pernoſſe & ita ſcitè flectere poſſe cõvenit, ne vel abruptâ contumaciâ, vel deformi obſequio illud innoxia aut devia conſilia deducat vel periclitari in illis ſinat. Qvi & foro & aurâ populari ad publicam utilitatem uti nôrit: qvi Comitiorum undas, qvi Tribunitios ſpiritus temperare ac demulcere qveat. Qui & exterorum ingeniis, variis ſanè & non unâ arte tractandis mores, ſermones & laudatas illas hominibus Politicis comis prudentiæ compedes aptare calleat. Qvam ad rem inſtructum eſſe â primis ungvicculis oportet iis doctrinę præſidiis, qvæ ad magnæ fortunæ cultum requiruntur. Opus eſt literarum peritiâ, non umbraticâ, ſpatiis Academiarum includendâ; ſed ſolidâ illâ & citra inanium argutiarum ſpinas amœniſſimos utilis ſapientię fructus omni

vitæ

vitæ colori præbente. Opus eſt inprimis Eloquentiâ, non moroſâ illâ & ungves arrodente, ſed fluidâ, facili, nervoſâ tamen, qvæq; pro diverſitate rerum & leniter ducere, & qvo velit flectere, concitare deniq;, cum opus eſt, orationis ſuę jugales poſſit. Opus eſt hiſtoriarum cognitione, ut ante ſe geſta in uſum ſuum vertere, ut cauſas & eventa conſiliorum, actionum, bellorum, ut rerumpubl. fata & periodos nôrit, ut egregiorum hominum facta ſibi ad imitandum proponere; ut deniq; albentes aliorum oſſibus ſcopulos evitare ſciat. Opus deniq; eſt, qvę utramq; in vitâ civili paginam facit, & ſine qvâ mancus eſt omnis Eruditionis apparatus, Experientiâ. Crudum eſt, qvicqvid habueris ingenii dotium, niſi illa percoxerit. Infirmâ luce nitet, ſi qvid ab uſu non exſplenduit. Summum negotiorum corticem inſpicit, non negotia, qvi ipſe in negotiis non ver-

 ſatur,

ſatur. Vt eminus aliquid intuentibus ſæpè illudit error oculorum; ita ut propiùs ſuggreſſi alia omnia reperiant, qvàm antè crediderant: ita in ipſis rerum civilium penetralibus alii colores, alii vultus negotiorum ſe offerunt, qvàm prima frons promiſerat oſtenderatve. Neq; ullus tam illuſtris Phœbus ita viarum diſcrimina præmonſtrare omnia poteſt, qvin ſæpisſimè hîc aberrent novi Phaëtontes. Sunt tam varii iſtic anfractûs, tam multi ſinûs, ut nec cogitare omnes, multò minus oſtendere, minimè certe aſſequi niſi multa tentando explorandoq; qveas. Vna Ariadne hîc eſt Experientia. Res tanto magis ardua, qvod vix qvoq; in poteſtate noſtrâ eſt. A tempore magnam partem dependet; qvod dare nobis non poſſumus, apprehendere poſſumus cum datur. Neq; enim omnibus etiam contingit in occaſiones & articulos rerum magnarum

rum incidere. Rarisſimis hoc ſolidioris prudentię gymnaſium fortuna benignior aperit; ſæpè & ſerò nimis aperit, cumq́; uſus jam non eſt ejus, quod diſcendum offertur. Qvò majoris faciendi ſunt, quos diu in ludo iſto theatroq́; fortuna exercuit: qvi ſortem utramq́; experti, bonis malisq́; ſuis, publico pręeſſe, & vel per errores non errare didicêre. Magna ſunt iſta, quę in Cancellario jure refulgere dixi: ſed minimè profectò illum conſummabunt, niſi alia inſuper animi decora acceſſerint. Inprimis Generoſitas, illa rerum magnarum capax, illa torpori inimica, illa agilitatem naturæ cœleſtium imitans indefeſſam agendi alacritatem. Illa fraudum expers, timoris ignara, invidere neſcia. Illa verum, ubi publica res poſcit, vel cum periculo ſuo dicere non abnuens. Libertate offendere qvàm ſervitio placere promptior. Non odia provocans cru-

 do

do rigore, sed nec vili assentatione refugiens. Dotes bonorum non malignè obtegens, sed remunerare cupida, neq; merita aliis ex gratiâ affingere, aliis ex odio detrahere sustinens. Vni æqua Virtuti, & vel nudam, nec qvod rependat habentem, æstimans. Firma adversùm corruptores. Opes possidens, sed qvibus nemo ingemiscat: potius autem plurimi publicè privatimq; fortunam suam debeant. Qvippe qvas illi in virtutis instrumenta, in decentem fortunę splendorem, in usus publicos, in egentium levamen, in Ecclesiæ, Scholarum, Patriæ deniq; ornamentum convertunt. Illa verò lumina virtutum qvàm decent Cancellarium? cum Deo & conscientiæ omnia posthabet; cum Patrię se totum impendit, saluti ejus intentus, sed ut & vitia, si qvę publicam rem excedunt, satagat emendare. Mederi ei vel generosis pharmacis non

negligens qvà poteſt, & cum ſpes ulla allucet boni ſucceſsûs. Nam adultis & prævalidis morbis mavult ſe non opponere, ne irritet malum, aut palam tantum faciat laborantis patriæ nuditatem, ſuasq; ſimul medelæ impares vires. Eſt ſæpe ſcilicet, ubi intra Regna remediis peccatur; eſt, ubi qvi ægram nolunt Rempubl., omnem perdunt. Sufficere debet interdum cardines & fundamenta, qvibus innititur Imperii incolumitas, ſervaſſe: ſi effici tutò aut ſine magno motu non poteſt, qvin nutet alicubi paries, qvin tigna perpluant. Egregium deniq; omni Cancellariorum decori faſtigium Modeſtia & Humanitas addunt. Eò rariùs ferè in illis inventæ, qvò difficilius eſt â fortunâ ſuâ non corrumpi. Obſidetur qvotidie illorum limen ingente hominum numero; prodeuntibus tot vel candidati vel rei ſupplicant, aures ingenibus illorum qværentes.

tes. Aſſurgunt ubiq; Magnates, præeunt, comitantur, & nullus eſt, qvi gratiam eorum non prênſet, non vitare nitatur offenſam. Arduum eſt iſtis non percelli & non in aliquam ſui oblivionem ſoporari. Subrepit vel ignorantibus Inſolentiæ venenum; iis inprimis, qvi non admodum excelſæ indolis ſunt, vel magnæ felicitati non longo ſatis uſu inſvevêre. Non capiunt iſti fortunam ſuam, & anguſtis vel inadſvetis animis ſuperfluente qvaſi copiâ bonorum facilè inebriantur. Unde ſe ſemper circumſpiciunt, & ignorant ſemper. Aliorum neceſſitates alto ſupercilio tramittunt, & arrogante faſtidio reſpuunt preces. Aditu difficiles, & verbum aliquod ſuum, imò & conſpectum ſui magno imputantes. At qvos altæ fortunæ pares ingenita Nobilitas & Virtus fecit, Aqvilarum inſtar, felicitatis honorumq; qvaſi domeſticum & nativum ſibi jubar in-

inconnivis oculis ferunt. Faſtigii ſibi ſui conſcii attolli ſe putant, ubi ſe demittunt. Hoc ſvavisſimum magnitudinis ſuæ delectamentum habent, cum infra ſe poſita reſpiciunt. Qvæ prona ipſis & qvaſi ſubſtrata clementem eorum intuitum pro beneficio habent. Beata verò ſunt, aut eſſe ſe putant, ſi molliter â magnis iſtis audiantur. Illi autem lubricitatis humanæ & ſuæ ſimul imbecillitatis ex tam variâ ſupplicantium ſorte admonentur. Et vel maximâ fortunâ ſuâ majores ſe oſtendunt, dum ejus ſibi modum intra animum ponunt. Eâ deniq; tum ſe uti rectisſimè putant, qvando cum qvamplurimis, ſi fieri poteſt, faciunt communem. Bono publico ſe natos rati, & dum uberrimo Regalis munificentiæ fonti proximi asſident, qvàm copioſisſimos inde ad ſublevandam indigentiam humanam beneficiorum rivulos educunt. Triſtem verò neminem

 â ſe

â ſe abire patiuntur, niſi fortè non merentem gaudere. Ejus altitudinis naturam, æmulantur, qvæ extra nubes poſita perpetuâ nitet ſerenitate. Et vim genio ſuo facere videntur, ſi qvando fulminare oportet. Neq; profectò fulminant, niſi ê nube, qvam ipſa terrarum facinora, & ſpiſſæ negotiorum fuligines animo vultuiq; eorum inducunt. Oppreſſos â potentioribus vindicant, ſerras amputant litium, nodos reſolvunt. Qvos Mars aut fortuna, dum de Patriâ benè merentur, male habuit, erigunt juvantq;, virtutem in his remunerando in aliis excitantes. Neq; Muſarum commercium averſantur, triſte grandium curarum tædium caſtiſſimâ earum conſvetudine ſubinde abſtergentes. Plerumq; etiam inde hauriunt nonnihil, qvo ſeculo ſerviant ſuo, futuris commendentur. Poſteris qvippe ſuis ſibi olim ſuperſtites intereſſe laborant, & anguſti ta-

libus

libus videntur ævi ſui limites. Æternitati ipſi imminent, avidi decoris, qvod mori neſcium morti eripit dignos non mori. Adumbravi qvalicunq; induſtriâ Cancellarium, & dotes expresſi, qvibus ille eximium ac memorabilem ſe reddere posſit. Iſtiusmodi autē miniſter decebit ſanè Magnum Principem, ſi talem repperit, ſi non repperit, fidenter dicam, faciet. Incredibile enim dictu eſt, qvantum lucis, quantum roboris Regi Regnoq; talis viri virtutes afferre posſint. Certè cum in maximorum Principum memorias regredimur, deprehendimus luculentisſimè, Alphonſo Arragoni Panormitanos, Carolo Qvinto Schlikios, Seldiosq; : Gallis Regibus Bellevrios, Hiſpanis Ximenas & Conſalvos; in hâc verò Republ. Sigismundo primo Schidlovecios, Auguſto Radſivillios, Stephano & Sigismundo Tertio Zamoſcios, in Sveciâ Guldenſternios, recentisſi-

tisſimo deniq; ſed prȩſigni exemplo Oxenſternios Regibus ſuis ad laudem, atq; illud, in qvo poſiti fuêre, potentiæ faſtigium plurimùm profuiſſe. Nam profectò qvantȩcunq; magnitudinis ſit animus Principis, ſufficere non poteſt curis, qvêis Orbem terrarum vel amplam ejus partem debet complecti. Supra homines poſiti homines eſſe non deſinunt. Fatiſcerent ſub mole, niſi Atlantibus illis Alcidæ, Alcidis Theſei ſui ſubvenirent. Vix certè reperiri poteſt, qvi unus idemq; cunctis animi virtutibus æquè prȩſtet; qviq; in omnibus Regni muniis, qvæ uti varia numero ſunt, ita totum hominem propè ſingula deſiderant, perinde excellat. Igneâ aliqvis vi ingenii enituit, opus habet, qvi temperet demulceatq; fervorem. Martium ſpiritum gerit, Palladio eget moderamento. Raro reperitur, qvi perinde conſilio, atq; impetu illo, qvo ad conſilia exeqvenda

qvenda opus eſt, valeat. Eget igitur viro, qvìcum caput conferat, & qvid factu opus ſit, deliberet. Res maximas Eloqventiâ inter homines effici certum eſt: & adhuc ſępenumero verum experiuntur Principes, quod prudens olim & multa ſago togâq; expertus Epirotarum Princeps Pyrrhus olim dicere non erubuit: plurium ſe urbium imperium per Eloqventiam Cyneæ, qvàm armis ſuis adeptum. Intereſt igitur Principis; ut habeat, qvi animos mortalium trahere, oratione devincire, erigere, ſtimulare, dejicere, in omnem deniq; partem flectere idoneus ſit. Sed qvorſum ego gravitatem amplitudinemq; muneris, qvorſum neceſſitatem Tibi tam operosè ediſſero; qvi optimè omnium, qvicqvid hujus eſt, experiendo didiciſti. Neq; enim rudem aut inexploratam manum ad hunc clavum admoves. Iampridem eum verſas tractasq;

 magno

magno omnium cum applauſu. Jampridem vocis Tuæ oraculo utitur Regia Majeſtas. Iampridem conſilia Tua, & acerrimam pro publicâ Libertate mentem Respublica experitur. Iampridem ore Tuo loquens Iuſtitia de fortunis meritisq́; hominum pronunciat. Nihil accedit jam Tibi, qvàm qvod collegam antè habuiſti, cui poteſtate par, ordine ſecundus eras; nunc collegam accipis, qvo, qvantumvis & ipſo inter Patrię Summates magnificè eminente, prior eris. Nemo jam muneris Tui faſtigium inumbrare vel volet vel poterit. Primum apicem tenes, & deinceps non qvà Antiſtes tantùm, ſed & qvà Cancellarius antecedes conſortem. Dicerem ipſum etiam Deceſſorem Tuum, virum ſanè Magnum, ſed inter contraria Civium ſtudia, judiciaq́; ſequiora ad vitæ usq́; finem plurimùm conflictatum, gratiam Tibi apud pleroſq́; imò & gloriam auctu-

rum :

rum: certè plurimis haud paulò acceptius fore lumen lampadis istius, postquam ex illâ utut toto orbe clarissimâ manu in Tuam devenit. Sed minimè Tu habes opus, ut â cõparatione famam, vel ab offensis alienis qværas favorem. Tuis opibus & proprio cẽsu dives, sufficis Tibi ad Te omnibus commendandũ. Haud enim est qvod in Te meritò vel morosissimi rerum æstimatores jure possint desiderare. Certè qvicquid ante â Cancellario postulari diximus, abunde Te non implere tantùm, sed antevenire posse jampridem ostendisti. Et sunt in Te multa, qvæ Cancellarium delineans oratio nostra non attigit. Vt adeò ex Te potius Cancellarii Idea, qvam ex imparis penicilli nostri adumbratione petenda sit. Natalium certè splendorem in eo, qvi tam grandi munere dignus videri debeat, reqviri, haud est dissimulandum. Neq; enim facilè, nec citò utilem Regi vel Regno

gno operam navare poterit, qvi velut ê terrâ demum enitens, longo tempore & rarâ qvâdam virtute opus habet, ut se eò provehat, in qvo cæteros sors nascendi posuit. Qvi compendio qvasi autoritatem, rem magnis muneribus pernecessariam adseqvuntur, qvam obscuri illi vix diuturnis laboribus sibi comparant, invidiam & contemptum ægerrimè eluctati, & nebularum istarum aliquid ipsis etiam Principibus suis plerumq; affundentes. Sed & impotentiùs ferè tales fortunæ amplitudinem ferunt, & præstringuntur facilè luce, qvæ ipsis non est nativa. Qvapropter rectè his præferuntur alii, qvi ê sangvine virtutum seminibus jamdudum imbuto nati, atq; inter domestica laudum exempla enutriti stimulos inde ad imitandum accipiunt, & gloriæ majorum propria decora non adjicere ducunt sibi pudori. Gentis autem splendore tali,

qvos

qvos Tibi, Illuſtrisſime Cancellarie, poſthabeam, haud difficulter eqvidem reppererim, qvos anteponam, minimè invenio. Sunt, fateor, in hoc Regno omnes, qvotqvot inſignia nobilitatis posſident, æqvales, hoc eſt aditum & jus habent ad qvævis Regni beneficia & ad qvosvis vel celſisſimos honores. Attamen diſcrimen familiarum res ipſa facit: & ſunt multæ domus, qvas continui fasces purpurȩq́; inſigniunt; ſunt aliæ, qvæ cum fumis tenebrisq́; ſuis perpetim colluctantur. Tua domus multis jam ſeculis inter Senatorias eſt, & dicere audacter auſim, inter primas Senatoriarum. Illata in hoc Regnum cum primâ Religionis Chriſtianæ face: hincq́; adeò natales ſuos in Poloniâ pari ærâ cum ſanctisſimæ fidei incunabulis computat. Etenim cum olim anno poſt natum Servatorem milleſimo ſexageſimo qvinto, Dambrovca Ducis Bohemorum

filia ad Miecislai Polonorum Principis thalamum cum nuptialibus tædis Divinę lucis lampadem deportaret, huc comitatus illam eſt nobilis Perſtinius, veſtrę gentis in Poloniâ autor & origo. Cujus alter filius Bozuta principem in Poloniâ Pontificatum Gneſnenſem adeptus eſt. Alter militari gloriâ clarus filios nepotesq; habuit, qvorum alii in Chriſti militiâ nomen profesſi ſummis pariter Inſulis; alii virtute civili bellicâve inter Palatinos Caſtellanosq; enituêre. E qvibus, Jagellonis ævo, Dobeslaus Hermannum Marianæ apud Livonas militiæ magiſtrum ad Golubiam magnâ in omnem poſteritatem virtutis famâ fudit profligavitq;. Propagatum ita familiæ decus eſt ad Raphaëlem usq; Leſcinium, (huic enim primo hæſit id nomen, cum cæteri pro facultatibus, qvas tenerent, vocabulum hactenus variasſent) qvi â Friderico tertio hujus nominis

nis

nis Imperatore inter primę admisſionis familiares adſcitus & Comitis inſuper dignitate honoratus eſt. Sed idem in Patriâ Aulę magiſterio â Caſimiro Rege prępoſitus, Caſtelli ſimul Posnanienſis curam unà cum Generali Majoris Poloniæ præfecturâ & duodecim aliis minoribus, inuſitato planè exemplo, obtenuit. Crevêre numero poſteri, virtutis pariter honorumq; curſu nihil â Majorum orbitâ deflectentes. Qvos ſi omnes recenſere vellem, laboraret certè copiâ rerum oratio. Ne poſtremos qvidem Arboris Leſcinianę ramos attrectare audeo, qvod & multi ſunt, & in qvàm numeroſisſimos ſe ſurculos diffudêre, ut vel enumerare ſingulos longi temporis res ſit: & nunc feſtinanti melius videatur honoro omnes ſilentio venerari, qvàm perfunctoriâ & rerum dignitati multùm detriturâ oratione delibare. Ne illuſtrisſimum quidem Paren-

tem Tuum in campum hunc producere ſuſtineo, intra breves paucarum linearum angustias cludere ac velut ſtrangulare veritus, qvę ille foris bello Livonico ſub Sigismundi III. auſpiciis, & poſtea domi, in hâc ipsâ, qvam nunc dignisſimus ſucceſſor filius capesſis, ſtatione gesſit: omnia adhuc pulcherrimè virentia in animis hominum, & curâ faſtorum meritò olim æternitati temporum conſecranda. Id ad extremum attigiſſe nunc ſufficiat, hoc noſtro etiam tempore præcelſam Corylum veſtram inter Principes Poloniæ ſtirpes eminere: certè haud ullam nunc extare arborem, qvæ tot ex ſe Capita uno eodemq́; tempore ſummo Senatui inſeruerit. Etenim præter Te qvinq́; minimùm ei Ordini adſcripti ſunt: qvorum unus VARMIENSI Pontificatui miris omnium ſtudiis florentisſimus PRINCEPS præeſt; cæteri aut Palatini, aut Caſtellani,

ni, aut ſummo Ærario præfecti, ingenio, facundiâ, gratiâ, autoritate pares paucos in Regno, neminem habent ſuperiorem. Sed propero ad alia quæ magis Tua ſunt. Qvibus parere Tibi ingens Nobilitatis decus poteras, niſi â Majoribus partum accepiſſes. Tanto jam nitidiùs ſplendens, qvòd ab illis ſparſum in Te, viciſſim verò à Te in illos refuſum, qvâdam qvaſi luctâ & repercuſſu exardeſcit magis. Tu enim â tantis Progenitoribus oriundus minimè eorum famæ incubandum Tibi putaſti; ut plurimi ſolent, qvibus ſatis eſt Imagines multas,

— & ſtantes in curribus Æmilianos

oſtendere poſſe. Sed nempè â primâ juventâ pręclari Patris exemplum ductumq; ſecutus ad Bonæ Mentis templum & ad laudatisſima Pallados ſacra contendiſti. Ubi iis artibus docilem & omnium capacem indolem imbuiſti, qvibus ad Sapien-

tiæ arcem itur, & ad Honoris Gloriæq; sacrarium. Placuit autem vulgares seculi curas adspernanti, illum ingredi tramitem, qvi piorum vestigiis, multoq; Martyrum sangvine signatus ad bellum ducit, sed sanctum, neq; hominibus, sed vitiis & improbitati metuendum. Qvippe DEO Te consecrasti, pietati spes & vota omnia Tua submisisti; Ecclesiæ Te gubernaculis parans, qvæ generosis sanè pectoribus, & non piis tantùm sed robustis manibus indigent, ut illam in seculi syrtes ruentem pietatis navem retineant serventq;. Gradibus autem & velut per stipendia emerita ad prima sacræ hujus militiæ decora trabeasq; perrexisti. Properus, sed ordinato progressu. Primùm enim sacram Pueritiæ prætextam cum CANONICATÛS Cracoviensis Togâ commutasti. Mox ABBATIS nomen accessit, qvod ætatem moribus pulcherrimè

prę-

prægressus Adolescens egregiæ sanctimoniæ exemplo implêsti. Cum ad Aulam animi firmitas maturuerat, Reginæ nominatus es Cancellarius; evidente augurio præludioq; ejus dignitatis, qvam postea adeptus es, & nunc fastigio suo exaggeratam tenes. Neq; enim diu intra illa honorum vestibula subsistere Te passa est Virtus Tua & virtuti respondens favor Regius. Secutæ mox Infulæ sunt, CAMENECENSIS primùm, sed qvæ paulò post CULMENSI cessit. Adjuncta est SIGILLI minoris cura, qvam pluribus annis laudabili animi Magnitudine, vigilantiâ fideq; mirificâ gessisti. Procancellarius, sed simul perpetuò fidus Patriæ Civis. Civis, sed non minus prudens Senator. Non ignorasti callidas Regnandi artes, sed scire qvàm usurpare maluisti. Satis Tibi ingenii, satis caloris fuit ad novas consiliorum fabricas, sed antiqua prætulisti, qvibus

qvibus procesſiſſe in hunc florem, atq; in hoc robur adoleviſſe Rempubl. animadvertis. Haud neſcius vitia qvoq; lapſu temporum & felicitatis quâdam luxurie ſuccreviſſe: ſed ea circumputanda leniter, non unà cum membris reſcindenda, cenſuiſti. Regi fidus & ingenuâ libertate probatus Conſiliarius. Rempublicam privatis ſemper ſtimulationibus præhabens, ſaluti ejus invigilans, & ſi opus eſſet, ſangvinem impenſurus. Qvod vel nuper patuit, cum qvaſſam & inter decumanos fluctûs periclitantem Regni ratem conſiliis prudentisſimis juviſti: male conſultorum liber caſtigator, eorum quę corrigi poſſent, ſalubris corrector; qvę ſpem emendationis excluſiſſent, ferenda monens, donec tempore mitigata manum ſanatricem admittant. His meritis jampridem magna Tibi per Regiam Patriamq; omnem veneratio ſimul & amor ad-

crevit.

crevit. Qvem ſtimulant inſuper aluntq́; reliquę Tuę dotes. Benigna inprimis illa lætę indolis temperies, & hilaritas frontis dignitati nihil auferens. Qvam pręter morum gravitatem & generoſi animi altitudinem oris inſuper majeſtas & proceri corporis decor auguſtam faciunt. Accedit facundia, non pigmentis aut fuco ſuperba, ſed nativâ pulchritudine exſurgens. Verè animi Tui index, in qvo Candor ipſe ſedem fixiſſe videtur. Adeò ille ſui non obtegens, adeò neſcius ſimulationum eſt, ut prudentiâ demum magiſtrâ didicerit non nimiùm patere, ne artibus alienis fieret opportunus. Interim manet adhuc in Amicitiis ſinceritas, ingenium in fronte promptum ferens, & iraſci qvàm odiſſe, offendere qvàm palpo fallere facilior. Adeſt ſimul robuſtus animi vigor, haud vacillans in iis, qvę probat. Non cedis arduis, ſed inſiſtis; urges benè cæpta,

donec perſeverantiâ vincas. Vir verè ad magna natus, rerum vilium adſpernans, turpium ultor, omnis honeſti vindex, famę alienæ non imminens, Tuę curioſus, æqvus meritorum æſtimator, juſti injuſtiq; perſpicax arbiter, benignus afflictorum receptator, opum haud qvęſitor ſollicitus, ſed magnificus erogator. Tali tantoq; Tibi cum MAGNI SIGILLI cura jam committitur, eſt profectò cur Rei Chriſtianę, cur Regi, cur Regno, cur Tibi deniq; plurimùm gratulemur. Rem Chriſtianam juvare haud dubiè multum voles tantus ANTISTES, poteris luculentisſimè tantus Cancellarius. Regi munerum ſacrorum Candidatos commendabis Ingenio mites, doctrinâ prudentiâq; politos, moribus integros, laborum tolerantes, & non lanam magis qvàm ſalutem ovium qvęſituros. Diſtractos ſacrorum diverſitate animos præceptæ debitęq;

Chri-

Christianis omnibus Caritatis ferrumine committere studebis: ad placida humanitatis certamina invitans omnes; minimè verò in odia mutua, in injurias aut lanienas acuens. Conscientiæ Tuæ qvia reverens es, non eris, scio, gravis alienæ. Bonum libertatis, qvod ipse maximi facis, non feres ægrè magni pariter ab aliis fieri. Inprimis cum hi nihil jam aliud, qvàm pacem qvàm qvietem ingeminent. Sed Christianę rei sic qvoq; multum luminis & adjumenti afferes, cum Virtutibus Christianis â Te pretium erit: cum Justiciæ, cum Temperantiæ, cum verę Fortitudini, cum Prudentiæ deniq; suus constabit honos: cum pręmia iis Te auctore nemo alius præripiet. Sed & artium bonarum patrocinium in partem curarum Tuarum haud dubiè sines venire. Illarum inprimis, qvibus juventus non doctior tantùm, sed & melior reddi-

tur; qvibus non ſpinarum rem Chriſtianam hactenus ſuffocantium, ſed optimarum frugum, hoc eſt, probę & modeſtę ſapientiæ ſemina continentur. Dediſti jam ante Tuæ in literas propenſionis non obſcura ſpecimina. Præcipuè in juventę olim Tuæ Rectore, qvem uti genere decoro, ita ſuper alias eximias animi dotes, multâ eruditione egregium luculentis honoribus extuliſti. REGIÆ porrò MAJESTATI de tali Cancellario gratulamur; qvòd habebit non minùs ingenuum, qvàm prudens pectus, in qvod curas ſuas effundat: qvòd negotiorum ardua ei committet, qvi cunctis Regni Ordinibus dilectus honoratusq́; publicum ſui amorem rebus agendis gratificabitur. Qvi nullâ rerum novarum cupiditate nimiâ pruriens, in id, Principi ſuo fidus Optio laborabit, ut ad veterem CASIMIRORUM, SIGISMUNDORUMQ; felicitatem

tem res Regis Patriæq́; provehantur. Regno verò Te Cancellarium gratulamur; qvod is jam pręcipuus Regi miniſter aderis, qvi Reipublicę morbos & vulnera rectiſſimè omnium noviſti; qvi fidam nec minus ſcitam manum ægrę iſti Matri qvàm molliſſimè ſuppones: qvi graviſſimis negotiis jamdudum immixtus tractare ea ex dignitate & uſu Reipublicę didiciſti: qvi annuis utriusq́; muneris Tui proventibus contentus, non ad Te trahes publica bona; ſed benè meritis, ſed rectè uſuris commendatione Tuâ conferes. Tibi verò tandem, Illuſtriſſime Cancellarie, cum munus recèns acceptum, tum Regem præcipuè, ſub qvo illud adminiſtrabis, jure meritiſſimo gratulamur. Jam enimverò ampliſſimum demum Tibi theatrum, in qvo ſpectari, jam campus contigit patentiſſimus, in qvo explicare ſe Virtutes Tuę poterunt. Jam tempus &

occaſio erit, ubi Rempublicam Tibi æternis nexibus devincire, ubi Regi luculentisſimè probare fidem dexteritatemq́;, ubi ſeculum obligare, ubi omnem deniq́; poſteritatem vectigalem Tibi reddere in manu habebis. Provehet ſecundabitq́; labores Tuos, poſt Deum, Virtus & felicitas Regia. Beatus es, qvi in JOANNEM CASIMIRUM Regem incidiſti. Is bonis malisq́; rebus edoctus, Conſilii, rei omninò divinæ, neceſſitatem compertam habet: & qvamvis ipſe cautâ animi prudentiâ ad ſibi ſuisq́; conſulendum aptisſimus, minimè tamen inimicus eſt conſilii, qvod non ipſe invenerit. Is & laxam illam, Regnoq́; perniciosam conſultandi rationem, qvâ ponderoſisſimę qvęq́; deliberationes hactenus religione ſecreti, hoc eſt, animâ ſuâ deſtituebantur, refrænat, & qvantum per Regni leges licet, coërcet. Sed inprimis bene conſulta, ſi

qvis

qvis unqvam Regum Imperatorumve, exeqvi rectè novit. Ipſemet negotiis præſentiæ ſuæ auſpicia præbens; ipſe ingente ſpiritu langvidum & nuper propè conclamatum Reipublicę corpus replens animansq; ipſe rerum graviſſimarum ductor, laborum minimè unquam fugitans, gloriæ per honeſta cupidus, contemptor periculorum, qvietem publicam privatâ redimens, & vitam ut civium ſervet, ſuæ prodigus. Qvod vel ultimus cum rebelli hoſte congreſſus oſtendit, ubi cum multi propè deſperarent de Republicâ, cum & Regium animum ex ſuo metirentur, præiit ille imperterritus, & cum ductore careret miles, ipſe duxit in hoſtem, ſui, cui alii omnes timebant, ſecurus. Felix præterea, qvod præfiſcinè dixerim, Princeps, & ex præſentiſſimis naufragii diſcriminibus ſui ſuorumq; proſperrimus aſſertor. Vehat annalium favor Camillos, qvi

Patriam

Patriam ſuam de manibus hoſtium extorſerint. Ille certè haud minor Camillis, qvi delibatum civium ſuorum florem, â trecentis amplius millibus pugnaciſſimorum hominum circumſeſſum & jam victûs inopiâ marceſcentem, velut Deus è machinâ, ſervavit: tam fortunatus ſcilicet copiarum ſuarum, quę vix viginti millium erant, Imperator, ut & has ipſas circumſepiri â multitudine hoſtili cæptas ex Orci qvaſi faucibus eriperet: & alterum Exercitum, non hoſtium tantùm ſpe, ſed omnium propè opinione jam qvaſi abſorptum libertati Regnoq; reſtitueret. Verè Pater Patriæ, verè immanium monſtrorum domitor Hercules, verè morientis Poloniæ refocillator. Qvid jam porrò nos tam timidos reddet; qvin omnia â tali Principe ſperemus, tam inſperata ſcilicet aſſecuti? Qvæ tam audax fiducia, qvæ tam improba vota, qvorum ille, cœ-

lum

lum adeò propitium habens, nos non videatur damnaturus? Venerati sumus Magni Patris SIGISMUNDI Tertii cautissimam mentem; prædicavimus gravitatem moderationemq́; animi. Mirabitur posteritas illud per tot adversa eluctatum, longævum illud, & deniq́; filiis ipso dignis benè traditum Regimen. Stupuimus ad Magni Fratris VLADISLAI fortissimos impetus, & simul ad illam ubiq́; individuam ac qvoqvò is se verteret, pari passu comitantem fortunam. Ingens uterq́; decessor, sed aliis ferè ille, aliis iste virtutibus admirandus. Noster Princeps Patris Fratrisq́; magnitudinem complexus est; utroq́; major in eo, qvod illorum nullus adeò turbatam & propè pessùm sidentem Rempublicam accepit; nullus tanto è periculo, nullus tam celeriter, nullus minore impensâ liberavit. Horret inter tanta rerum prodigia mens, & vox propè ipsa

 hæret

hæret ſilentio defixa. Animus tantùm in ſuſpiria ſolvitur, oculi manûsq; noſtræ ad cœlum protenduntur; gratias pro tam mirificis benevolentiæ divinæ pignoribus molientes. O faveat porrò benignum Numen muneribus ſuis, & tam bonum, tam moderatum, tam prudentem, tam fortem Principem publicę rei, Principi verò vitam incolumem & perpetuam felicitatem qvàm diutisſimè ſervet! Pergat ô acerbos olim juventæ labores caſusq; melioribus maturæ ætatis ſuccesſibus ſolari! Foveat depoſitum ſuum, & hunc Regni optimi liberatorem inter perpetua fortunę obſequia, inter blanda civium in ipſo colendo certamina, inter gratantia amicorum Principum ſtudia, malevolentium dolores, terrentium metus, devictorum ſupplicia; hincq; porrò inter pacis gaudia, inter lætisſima domûs ſuę incrementa & traduces Regiæ Virtutis ex fæcundo Reginæ gremio

mio ſurculos, ad ſeram & laboribus ſuis ſvavisſimè fruituram deducat ſenectam. Idem Te qvoq; , Illuſtrisſime Reverendisſimeq; Cancellarie, felicem tantarum rerum & teſtem & miniſtrum eſſe velit. Qvieſcat ſuper Te DEI ſpiritus, ut DEI res, prævio & Duce Rege, qvàm optimè in terris agas. Sufficiat cumuletq; vires, ut rerum maximarum molem indeflexâ cervice ſuſtineas. Faxit deniq; , ut teſtatisſimæ in Regem Regnumq; fidei, ut Juſticię inter homines aſſertæ, ut benignè habitæ Virtutis, ut profligatorum ſcelerum, ut multis poſtremò meritis obligati Orbis glorioſisſima SIGNA ſpe noſtrâ & famâ ſuperſtite dignus CANCELLARIUS, dignus EPISCOPUS ſero in cœlum reditu inferas; optatâ iſtic immortalitatis lauru coronanda.

FINIS.